

restat ut pauca de jejunii dogmate edisseramus. Ac principio quidem animadvertimus Calvinianos aliosque recentes novatores jejunia omnia e medio sustulisse, ut perspicue apparet ex iis quæ libro Institutionum quarto, capite 12, scribit Calvinus, ubi quadragesimale jejunium superstitionem appellat observationem. Ac tametsi fateri non dubitent, jejunium præceptum in veteri lege fuisse, cum id expressum legatur apud Joëlem, Jonam, atque alibi in veteris Testamenti libris; negant tamen audacter eidem jejunio obnoxios esse Christianos, propterea quod a legis vinculo soluti sunt, Ecclesiamque jejunia sub præcepto indicere posse. Sed illorum error facile convelli potest. Annon enim apud Matthæum vi dicitur: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, etc.?* Nec officit quod jejunii præceptum ad legem veterem pertineret; satis etenim constat, caeremonialia tantum præcepta, non autem moralia, ejusmodi procul dubio est præceptum jejunii, illucescente Evangelio abrogata fuisse. Id quod mirifice ex Augustini doctrina in epistola ad Casulanum, quæ est 36, confirmari potest. Sic enim eo loco habet S. Pater: « Ego in evangelicis et apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse Jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini vel apostolorum non invenio definitum. » Audiant Augustinum novatores aientem in sacris novi fœderis litteris jejunium esse præ-

JESU SOCIETAS.

SUMMARIUM.

1. ad 13. Aliqua de Societate Jesu. — 14. Constitutio Clementis XIV qua eadem Societas extinguitur

(1. Societas Jesu merito laudatur a Benedicto XIV, tom. I, constitut. 49, incip. *Constantem*. (2. Societati Jesu unus locus inter consultores congregationis Sacrorum Rituum perpetuo assignatur; idem, ibid. (3. Societatis Jesu collegium in civitate S. Dominici in insula Hispaniola, in publicam studiorum universitatem erigitur; idem, constit. 37, incip. *In supereminenti*. (4. Ejusque collegii rectori tribuitur facultas conferendi gradus, cumulative tamen cum priore PP. Prædicatorum; idem, ibid.

(5. In Societate Jesu congregationes Generales, ex Brevi Innoc. X, singulis novenniis haberi jubentur; id., const. 24, incip. *Devotum majori*. (6. Societas Jesu variis temporibus institit pro abrogatione hujusmodi brevis; idem, ibid. (7. Illud tamen quo ad triennalem officiorum durationem

(105) Jejunii ecclesiastici historiam Gallice ediderunt Ludovisius Thomassinus, et Benedictinus D. de l'Isle; quibus adde Gabrielis Albaspinæi De jejuniis et stationibus observationes, Cabassutii De veterum jejuniorum Ecclesie origine, et ritibus dissertationem, et Joannis Ciampini de Cruce stationali, investigationem historicam. De Quatuor vero Temporum jejuniis eorumque origine exstant peculiare dissertationes duæ, Ludovici Muratorii una, altera P.

ptum, determinationem vero illorum dierum in quibus jejunium colendum sit, Ecclesie potestati ac libertati esse relictam. Quod vera possit Ecclesia suis legibus jejunia præcipere fidelibus, et stabilire certa jejunii tempora, vel ex ipso Synagogæ exemplo demonstratur, quæ Judæis jejunia imponebat, ut apud Hieremiam, Estherem, ac Zachariam, legere est. Quod si ea potestate pollebat Judæorum Synagoga, quid est quod eandem Ecclesie Christi denegandam esse putent novatores? An dicturi sunt minori gaudere Ecclesiam potestate quam Synagoga habuerit? At ridiculum id est. Deinde Ecclesie prælati non minus ac principes sæculares potestate gaudent leges condendi ad fidelium spirituale bonum promovendum. Nemo autem dubitare potest jejunium valde opportunum atque optimum esse ad spirituale finem consequendum remedium; ex quo Angelicus Doctor 2-2, quæst. 147, deducit jejunium sub præcepto quoque naturali cadere. Potest igitur Ecclesia prædictum remedium fidelibus præcipere, sicut sæculares principes exercitium illorum actuum, qui alioquin liberi essent, præcipiunt subditis, qui vergunt in eorumdem subditorum bonum. Extra dubium est ergo, et in sacris litteris novi fœderis præceptum esse jejunium, illudque fidelibus præcipere posse Ecclesiam. Quæ contra hujusmodi doctrinam objicere solent hæretici, adeo levia, inepta, ac futilia sunt, ut vix digna sint lubricatione anicularum; in iis propterea exsufflandis tempus terere nolumus (105).

et supprimitur. — 15. Alia constitutio ejusdem pontificis. — 16. Bulla Pii VII pro restitutione congregationis Societatis Jesu.

abrogatum fuit ab Alexandro VIII; idem, ib. Bened. XIV. (8. Innocentii legem quoad novennalem congregationem abrogat; idem, ibid. (9. Et quoad præfinitionem termini triennalis officiorum, abrogationem jam factam confirmat; idem, ibid.

(10. In Societate Jesu vacatio beneficiorum non inducitur per emissionem votorum simplicium; id. constit. 25, incip. *Ex quo dilectus Filius*. (11. Sed in ipsius congregatione generali v decretum fuit illius alumnos, expleto probationis biennio, beneficia ecclesiastica dimittere debere; idem, ibid.

(12. E Societate Jesu theologus consultor Pœnitentiariæ Apostolicæ assumi consuevit; idem, tom. I, const. 96, incip. *In Apostolica*, § 15.

(13. Jesu Societas extinguitur et supprimitur a fel. record. Clement. XIV, per suas

Joan. Hyacinthi Sbaraleæ, quas cum tribus indicatis Albaspinæi, Cabassutii et Ciampini opusculis habes tom. I disciplinæ Populi Dei in Novo Testamento a Claudio Fleury Gallice scriptæ, et a Franc. Antonio Zaccaria illustratæ, p. 155 seqq. Venetæ secundæ editionis apud Zattam. Vide etiam Dissert. Fr. Dominici Thomæ Valfredi Ord. Præd. de usu et instit. Jejuniorum Temporum Bon. Edit. 1771 (EDIT. BARBIER)

litteras in forma brevis, sub die 21 Julii 1773, ut hic ad litteram allatæ sequuntur.

CLEMENS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

(14. Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus, Princeps pacis a propheta prænuntiatus, quod hunc in mundum veniens per angelos primum pastoribus significavit, ac demum per se ipsum, antequam in cœlos ascenderet, semel et iterum suis reliquit discipulis; ubi omnia Deo Patri reconciliavisset, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, apostolis etiam reconciliationis tradidit ministerium, posuitque in eis verbum reconciliationis, ut legatione fungentes pro Christo, qui non est dissensionis Deus, sed pacis et dilectionis, universo orbi pacem annuntiarent, et ad id potissimum sua studia conferrent ac labores, ut omnes in Christo geniti solliciti essent servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati sunt in una spe vocationis, ad quam nequaquam pertingitur, ut inquit S. Gregorius Magnus, si non ad eam unita cum proximis mente curratur.

Hoc ipsum potiori quadam ratione nobis divinitus traditum reconciliationis verbum et ministerium, ubi primum, meritis propriis imparibus evecti fuimus ad hanc Petri Sedem, in memoriam revocavimus, die noctuque præ oculis habuimus, cordique altissime inscriptum gerentes, ei pro viribus satisfacere contendimus, divinam ad id opem assidue implorantes, ut cogitationes et consilia pacis nobis, et universo domino gregi Deus infundere dignaretur, ad eamque consequendam tutissimum nobis firmissimumque aditum reserare. Quinimo probe scientes divino nos consilio constitutos fuisse super gentes et supra regna, ut in excolenda vinea Sabaoth, conservandoque Christianæ religionis ædificio, cujus Christus est angularis lapis, evellamus, et destruiamus, et disperdamus, et ædificemus, et plantemus, eo semper fuimus animo constantique voluntate, ut quemadmodum pro Christianæ reipublicæ quiete et tranquillitate nihil a probis prætermittendum esse censuimus, quod plantando ædificandoque esset quovis modo accommodatum: ita eodem mutæ charitatis vinculo expostulante, ad evellendum destruendumque quidquid jucundissimum etiam nobis esset atque gratissimum, et quo carere minime possemus sine maxima animi molestia et dolore prompti æque essemus atque parati.

Non est sane ambigendum ea inter quæ ad catholicæ reipublicæ bonum felicitatemque comparandam plurimum conferunt, principem fere locum tribuendum esse regularibus ordinibus, ex quibus amplissimum in universam Christi Ecclesiam quavis ætate dimanavit ornamentum, præsidium, et utilitas. Hos idcirco Apostolica hæc Sedes approbavit non modo, suisque fulcita est auspiciis, verum etiam pluribus auxit beneficiis,

exemptionibus, privilegiis et facultatibus, ut ex his ad pietatem excolendam, et religionem, ad populorum mores verbo et exemplo rite informandos, ad fidei unitatem inter fideles servandam confirmandamque, magis magisque excitarentur atque inflammarentur. Ast, ubi eo res devenit ut ex aliquo regulari ordine, vel non amplius uberrimi fructus, atque optatissima emolumenta a Christiano populo perciperentur, ad quæ afferenda fuerant primitus instituti, vel detrimento potius esse visi fuerint, ac perturbandæ magis populorum tranquillitati quam eidem procurandæ accommodati; hæc eadem Apostolica Sedes, quæ eisdem plantandis operam impenderat suam, suamque interposuerat auctoritatem, eos vel novis communire legibus, vel ad pristinam vivendi severitatem revocare, vel penitus etiam evellere ac dissipare minime dubitavit.

Hac sane de causa Innocentius papa tertius, prædecessor noster, cum comperiisset nimiam regularium ordinum diversitatem gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducere, in concilio generali Lateranensi IV firmiter prohibuit ne quis de cætero novam religionem inveniat; sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; decrevitque insuper ut qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis. Unde consequens fuit ut non liceret omnino novam religionem instituire sine speciali Romani Pontificis licentia, et merito quidem, nam cum novæ congregationes majoris perfectionis gratia instituantur, prius ab hac sancta Apostolica Sede ipsa vitæ futuræ forma examinari et perpendi debet diligenter, ne sub specie majoris boni et sanctioris vitæ plurima in Ecclesia Dei incommoda et fortasse etiam mala exoriantur.

Quamvis verio providentissime hæc fuerint ab Innocentio III, prædecessore, constituta, tamen postmodum non solum ab Apostolica Sede importuna petentium inhiatio aliquorum Ordinum Regularium approbationem extorsit, verum etiam nonnullorum præsumptuosa temeritas diversorum ordinum præcipue mendicantium nondum approbatorum effrenatam quasi multitudinem adinvenit. Quibus plene cognitis, ut malo statim occurreret, Gregorius papa X, pariter prædecessor noster, in generali concilio Lugdunensi renovata constitutione ipsius Innocentii III, prædecessoris, districtius inhibuit ne aliquis de cætero novum ordinem, aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat. Cunctas vero generaliter religiones et ordines mendicantes post concilium Lateranense IV adinventos, qui nullam confirmationem Sedis apostolicæ meruerunt, perpetuo prohibuit. Confirmatos autem ab Apostolica Sede modo decrevit subsistere infrascripto: ut videlicet professoribus eorumdem ordinum ita liceret in illis remanere, si voluerint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admitterent, nec de novo domum vel aliquem locum acquirerent, nec domos seu loca quæ habebant alienare

valerent sine ejusdem Sanctæ sedis licentia speciali. Ea enim omnia dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit in Terræ Sanctæ subsidium, vel pauperum, vel alios pios usus per locorum ordinarios, vel eos quibus Sedes ipsa commiserit, convertenda. Personis quoque ipsorum ordinum omnino interdixit quoad extraneos prædicationis et audiendi confessiones officium, aut etiam sepulturam. Declaravit tamen in hac constitutione minime comprehensos esse Prædicatorum et Minorum ordines quos evidens ex iis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibebat approbatus; voluitque insuper Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum ordines in solido statu permanere, ex eo quod istorum institutio prædictum generale concilium Lateranense præcesserat. Demum singularibus personis ordinum ad quos hæc constitutio extendebatur transeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concessit generalem; ita tamen ut nullus ordo ad alium, vel conventus ad conventum se ac loca sua totaliter transferret, non obtenta prius speciali Sedis Apostolicæ licentia.

Hiscemet vestigiis secundum temporum circumstantias inhæserunt alii Romani pontifices prædecessores nostri quorum omnium decreta longum esset referre. Inter cæteros vero Clemens papa V, pariter prædecessor noster, per suas sub plumbo vi nonas Maii anno incarnationis Dominicæ 1312, expeditas litteras ordinem militarem Templariorum nuncupatorum, quamvis legitime confirmatum et alias de Christiana republica adeo præclare meritum, ut a Sede Apostolica insignibus beneficiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, licentiis, cumulatus fuerit, ob universalem diffamationem suppressit, et totaliter exstinxit, etiamsi concilium generale Viennense, cui negotium examinandum commiserat, a formali et definitiva ferenda sententia censuerit se abstinere.

Sanctus Pius V, similiter prædecessor noster, cujus insignem sanctitatem pie colitur et veneratur Ecclesia catholica, ordinem regularem Fratrum Humiliatorum, concilio Lateranensi anteriore, approbatumque a felicis recordationis Innocentio III, Honorio III, Gregorio IX, et Nicolao V, Romanis pontificibus prædecessoribus itidem nostris, ob inobedientiam decretis apostolicis, discordias domesticas, et externas exortas, nullum omnino futuræ virtutis specimen ostendentem, et ex eo quia aliqui ejusdem ordinis in necem S. Caroli S. R. E. card. Borromei protectoris ac visitatoris apostolici dicti ordinis, scelerate conspiraverint, exstinxit ac penitus abolevit.

Recolendæ memoriæ Urbanus papa octavus, etiam prædecessor noster, per suas in simili forma brevis, die 6 Februarii 1726 expeditas litteras, congregationem Fratrum Conventualium Reformatorum a felicis memoriæ Sixto papa V, itidem prædecessore nostro solemniter approbatam et pluribus beneficiis ac favoribus auctam, ex eo quia ex prædictis fratribus in Ecclesiæ Dei spiritalis fructus non prodierint, imo quam-

plures differentiæ inter eosdem Fratres Conventuales non Reformatos ortæ fuerint, perpetuo suppressit ac exstinxit: domus, conventus, loca, supellectilem, bona, res, actiones, et jura, ad prædictam congr. spectantia ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium concessit et assignavit, exceptis tantum domo Neapolitana et domo Sancti Antonii de Paula nuncupata de Urbe, quam postremam cameræ apostolicæ applicavit et incorporavit, suæque suorumque successorum dispositioni reservavit: fratribus denique prædictæ suppressæ congregationis ad fratres S. Francisci Cappuccinos, seu de observantia nuncupatos, transitum permisit.

Idem Urbanus papa VIII, per alias suas, in pari forma brevis, die 2 Decembris 1643 expeditas litteras, ordinem regularem Sanctorum Ambrosii et Barnabæ ad Nemus perpetuo suppressit, exstinxit, et abolevit; subjectique regulares prædicti suppressi ordinis jurisdictioni et correctioni ordinariorum locorum, prædictisque regularibus licentiam concessit se transferendi ad alios ordines regulares ab Apostolica Sede approbatos. Quam suppressionem rec. memoriæ Innocentius papa X, prædecessor quoque noster, solemniter per suas sub plumbo Kal. Aprilis anno incarnationis dominicæ 1645 expeditas litteras confirmavit; et insuper beneficia, domus, et monasteria prædicti ordinis, quæ antea regularia erant, ad sæcularitatem reduxit ac in posterum sæcularia fore et esse declaravit.

Idemque Innocentius X, prædecessor, per suas, in simili forma brevis, die 16 Martii 1645, ob graves perturbationes excitatas inter regulares ordinis Pauperum Matris Dei Scholarum piarum, etsi ordo ille prævio maturo examine a Gregorio papa XV, prædecessore nostro, solemniter approbatus fuerit, præfatum regularem ordinem in simplicem congregationem, absque ullorum votorum emissionem, ad instar instituti congregationis Presbyterorum sæcularium Oratorii in ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe S. Philippi Neri nuncupatæ, reduxit; regularibus prædicti ordinis sic reducti transitum ad quamcumque religionem approbatam concessit; admissionem novitiorum et admissionum professionem interdixit; superioritatem denique et jurisdictionem, quæ penes ministrum generalem, visitatores, aliosque superiores residebat, in ordinarios locorum totaliter transtulit: quæ omnia per aliquot annos consecuta sunt effectum, donec tandem Sedes hæc Apostolica, cognita prædicti instituti utilitate, illum ad pristinam votorum solemnium formam revocavit ac in perfectum regularem ordinem redegit.

Per similes suas in pari forma brevis, die 29 Octobris 1650 expeditas litteras idem Innocentius X, prædecessor, ob discordias quoque et dissensionem exortas suppressit totaliter Ordinem S. Basilii de Armenis; regulares prædicti suppressi ordinis omnimode jurisdictioni et obedientiæ ordinariorum Locorum subjecti in habitu clericorum

sæcularium, assignata iisdem congrua sustentatione ex redditibus Conventuum suppressorum; illisque etiam facultatem transeundi ad quamcumque religionem approbatam concessit.

Pariter ipse Innocentius X, prædecessor, per alias suas, in dicta forma brevis, die 22 Junii 1651 expeditas litteras, attendens nullos spirituales fructus ex regulari congregatione Presbyterorum Boni Jesus in Ecclesia sperari posse, præfatum congregationem perpetuo exstinxit; regulares prædictos jurisdictioni ordinariorum Locorum subjecti, assignata eisdem congrua sustentatione ex redditibus suppressæ congregationis, et cum facultate transeundi ad quemlibet ordinem regularem approbatum a Sede Apostolica; suoque arbitrio reservavit applicationem honorum prædictæ congregationis in alios pios usus.

Denique felicis recordationis Clemens papa IX, prædecessor itidem noster, cum animadverteret tres regulares ordines, canonicorum videlicet regularium Sancti Georgii in Alga nuncupatorum, Hieronymianorum de Fesulis, ac tandem Jesuatorum a sancto Johanne Columbano institutorum, parum vel nihil utilitatis et commodi Christiano populo afferre aut sperari posse eos esse aliquando allaturos, de iis supprimendis extinguendisque consilium cepit, idque perfecit suis litteris, in simili forma brevis, die 6 Decembris 1668 expeditis; eorumque bona, et redditus satis conspicuos, Venetorum republica postulante, in eos sumptus impendi voluit qui ad Cretense bellum adversus Turcas sustinendum erant necessario subeundi.

In his vero omnibus decernendis perficiendisque satius semper duxerunt prædecessores nostri ea uti consultissima agendi ratione, quam ad intercludendum penitus aditum animorum contentione et ad quemlibet amovenda dissidia vel partium studia magis conferre existimarunt. Hinc molesta illa ac plena negotii prætermissa methodo quæ in forensibus instituendis judiciis adhiberi consuevit, prudentiæ legibus unice inhærentes, ea potestatis plenitudine qua tanquam Christi in terris vicarii a supremi Christianæ reipublicæ moderatores amplissime donati sunt, rem omnem absolvendam curarunt, quin regularibus ordinibus suppressioni destinatis veniam facerent, et facultatem sua experiendi jura, et gravissimas illas vel propulsandi criminationes, vel causas amolendi, ob quas ad illud consilii genus suscipiendum adducebantur.

His igitur aliisque maxime apud omnes ponderis et auctoritatis exemplis nobis ante oculos propositis, vehementique simul flagrantibus cupiditate ut in ea quam aperiemus deliberatione fidenti animo tutoque pede incedamus, nihil diligentiam omisimus et inquisitionis ut quidquid ad regularis ordinis qui Societas Jesu vulgo dicitur originem pertinet, progressum hodiernumque statum perscrutaremur; et compertum inde

habuimus eum ad animarum salutem et hæreticorum et maxime infidelium conversionem, ad majus denique pietatis et religionis incrementum, a sancto suo conditore fuisse institutum; adque, ad optatissimum hujusmodi finem facilius feliciusque consequendum, arctissimo evangelicæ paupertatis voto tam in communi quam in particulari fuisse Deo consecratum, exceptis tantummodo studiorum seu litterarum collegiis, quibus possidendi redditus ita facta est vis et potestas, ut nihil tamen ex iis redditibus in ipsius Societatis commodum, utilitatem, ac usum impendi unquam possit atque converti.

His aliisque sanctissimis legibus probata primum fuit eadem Societas Jesu a rec. memoriæ Paulo papa III, prædecessore nostro, per suas, sub plumbo v Kal. Octobris anno incarnationis Dominicæ 1540, expeditas litteras, ab eodemque concessa ei fuit facultas condendi jura atque statuta quibus Societatis præsidio, incolumitati, atque regimini firmissime consuleretur. Et quamvis item Paulus prædecessor Societatem ipsam angustissimis sexaginta dumtaxat alumnorum limitibus ab initio circumscriptisset, per alias tamen suas, itidem sub plumbo pridie Kal. Martii anno incarnationis Dominicæ 1543, expeditas litteras, locum dedit eadem in Societate iis omnibus quos in eam excipere illius moderatoribus visum fuisset opportunum aut necessarium. Anno deinde 1549, suis in simili forma brevis die 15 Novembris expeditis litteris, idem Paulus prædecessor pluribus atque amplissimis privilegiis eandem Societatem donavit, ac in his indultum alias per eundem præpositis generalibus dictæ Societatis concessum admittendi viginti presbyteros coadjutores spirituales, eisque impertiendi easdem facultates, gratiam, et auctoritatem, quibus socii ipsi professi donantur, ad alios quoscumque quos idoneos fore iidem præpositi generales censuerint, ullo absque limite et numero extendendum voluit atque mandavit; ac præterea Societatem ipsam, et universos illius socios, et personas, illorumque bona quæcumque ab omni superioritate, jurisdictione, correptione quorumcumque ordinariorum exemit et vindicavit, ac sub sua et Apostolicæ Sedis protectione suscepit.

Haud minor fuit reliquorum prædecessorum nostrorum eandem erga Societatem liberalitas ac munificentia. Constat enim a rec. memoriæ Julio III, Paulo IV, Pio IV et V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Paulo V, Leone XI, Gregorio XV, Urbano VIII, aliisque Romanis pontificibus privilegia eidem Societati jam antea tributa, vel confirmata fuisse, vel novis aucta accessionibus, vel apertissime declarata. Ex ipso tamen apostolicarum constitutionum tenore et verbis palam colligitur eadem in Societate suo fere ab initio varia dissidiorum ac æmulationum semina pullulasse, ipsos non modo inter socios, verum etiam cum aliis regularibus ordinibus, clero sæculari, academiis, universitatibus, publi-

cis litterarum gymnasiis, et cum ipsis etiam principibus quorum in ditionibus Societas fuerat excepta; easdemque contentiones et dissidia excitata modo fuisse de volorum indole et natura, de tempore admittendorum Sociorum ad vota, de facultate socios expellendi, de iisdem sociis ad sacros ordines promovendis sine congrua ac sine volis solemnibus contra concilii Tridentini ac sanctæ memoriæ Pii papæ V, prædecessoris nostri, decreta; modo de absoluta potestate quam præpositus generalis ejusdem Societatis sibi vindicabat, ac de aliis rebus ipsius Societatis regimen spectantibus; modo de variis doctrinæ capitibus, de scholis, de exemptionibus et privilegiis, quæ locorum ordinarii aliæque personæ in ecclesiastica vel sæculari dignitate constitutæ suæ noxia esse jurisdictioni ac juribus contendeant; ac demum minime defuerunt gravissimæ accusationes eidem Sociis objectæ, quæ Christianæ reipublicæ pacem ac tranquillitatem non parum perturbarent.

Multæ hinc ortæ adversus Societatem querimonie, quæ, nonnullorum etiam principum auctoritate munitæ ac relationibus, ad rec. memoriæ Paulum IV, Pium V, et Sixtum V, prædecessores nostros, delatæ fuerunt. In his fuit claræ memoriæ Philippus secundus, Hispaniarum rex catholicus, qui tum gravissimas quibus ille vehementer impellebatur, rationes, tum etiam eos quos ab Hispaniarum inquisitoribus adversus immoderata Societatis privilegia ac regimini formam acceperat clamores, et contentionum capita a nonnullis ejusdem etiam Societatis viris doctrina et pietate spectatissimis confirmata, eidem Sixto V, prædecessori exponenda curavit, apud eundemque egit ut apostolicam Societatis visitationem decerneret atque committeret.

Ipsius Philippi regis petitionibus et studiis, quæ summa inniti æquitate animadvertat, annuit idem Sixtus prædecessor, delegitque ad apostolici visitatoris munus episcopum prudentia, virtute, et doctrina omnibus commendatissimum, ac præterea congregationem designavit nonnullorum S. R. E. cardinalium, qui rei perficiendæ sedulam navarent operam. Verum dicto Sixto V, prædecessore, immatura morte prærepto, saluberrimum ab eo susceptum consilium evanuit, omnique caruit effectu. Ad supremum autem apostolatus apicem assumptus felix recordationis Gregorius PP. XIV, per suas litteras sub plumbo iv Kal. Julii ann. Dominicæ incarnationis 1594 expeditas, Societatis institutum amplissime iterum approbavit; rataque haberi jussit ac firma privilegia quæcumque eidem Societati a suis prædecessoribus collata; et illud præ cæteris, quo cautum fuerat ut a Societate expelli dimittique possent socii, forma judiciaria minime adhibita, nulla scilicet præmissa inquisitione, nullis confectis actis, nullo ordine judiciario servato, nullisque terminis, etiam substantialibus, servatis, sola facti veritate inspecta, culpæ, vel rationabilis causæ tantum ratione habita ac personarum,

aliarumque circumstantiarum. Altissimum insuper silentium imposuit; vetuitque sub pœna potissimum excommunicationis latæ sententiæ ne quis dictæ Societatis institutum, constitutiones, aut decreta directe vel indirecte impugnare auderet, vel aliquid de iis quovis modo immutari curaret. Jus tamen cuilibet reliquit ut quidquid addendum, minuendum, aut immutandum censeret, sibi tantummodo, et Romanis solum pontificibus pro tempore existentibus, vel immediate, vel per apostolicæ Sedis legatos seu nuntios significare posset atque proponere.

Tantum vero abest ut hæc omnia satis fuerint compescendis adversus Societatem clamoribus et querelis, quin potius magis magisque universum fere orbem pervaserint molestissimæ contentiones de Societatis doctrina; quam fidei veluti orthodoxæ bonisque moribus repugnantem plurimi traduxerunt; domesticæ etiam externæque efferbuerunt dissensiones, et frequentiores factæ sunt in eam de nimia potissimum terrenorum bonorum cupiditate accusationes. Ex quibus omnibus suam hauserunt originem tum perturbationes illæ omnibus satis cognitæ, quæ Sedem apostolicam ingenti mœrore affecerunt ac molestia; tum capta a principibus nonnullis in Societatem consilia. Quo factum est ut eadem Societas novam instituti sui ac privilegiorum confirmationem a felix recordationis Paulo papa V, prædecessore nostro impetratura, coacta fuerit ab eo petere ut rata habere vellet suæ confirmare auctoritate decreta quædam in quinta generali congregatione edita, atque ad verbum exscripta in suis sub plumbo pridie Non. Septembris anno incarnationis Dominicæ 1606, de super expeditis litteris; quibus in decretis discretissime legitur tam internas sociorum simultates ac turbas, quam exterorum in Societatem querelas ac postulationes socios in comitiis congregatos impulisse ad sequens condendum statutum: « Quoniam Societas nostra, quæ ad fidei propagationem et animarum lucra a Domino excitata est sicut per propria instituti ministeria, quæ spiritualia arma sunt cum Ecclesiæ utilitate ac proximorum ædificatione sub crucis vexillo finem feliciter consequi potest, quem intendit ita et hæc bona impediret et se maximis periculis exponeret, si ea tractaret quæ sæcularia sunt, et ad res politicas atque ad status gubernationem pertinent; idcirco sapientissime a nostris majoribus statutum est ut militantes Deo aliis quæ a nostra professione abhorrent non implicemur. Cum autem his præsertim temporibus valde periculosus, pluribus locis et apud varios principes (quorum tamen amorem et charitatem sanctæ memoriæ pater Ignatius conservandam ad divinum obsequium pertinere putavit), aliquorum fortasse culpa, et vel ambitione, vel indiscreto zelo religio nostra male audiat; et alioquin bonus Christi odor necessarius sit ad fructificandum; censuit congregatio ab omni specie mali abstinendum esse, et querelis, quoad

fieri poterit, etiam ex falsis suspicionibus provenientibus, occurrendum. Quare præsentem decreto graviter et severe nostris omnibus interdicit ne in hujusmodi publicis negotiis, etiam invitati aut allecti, ulla ratione se immisceant, nec ullis precibus aut suasionibus ab instituto deflectant. Et præterea quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, sic ubi opus sit, medicina adhibeatur, patribus definitivis accurate decernendum et definiendum commendavit. »

Maximo sane animi nostri dolore observavimus tam prædicta quam alia complura deinceps adhibita remedia nihil ferme virtutis præsetulisse et auctoritatis ad tot ac tantas evellendas dissipandasque turbas, accusationes, et quærimonias in sæpeditam Societatem, frustraque ad id laborasse cæteros prædecessores nostros Urbanum VIII, Clementem IX, X, XI, et XII, Alexandrum VII et VIII, Innocentium X, XI, XII, et XIII, et Benedictum XIV, qui optatissimam conati sunt Ecclesiæ restituere tranquillitatem plurimis saluberrimis editis constitutionibus, tam circa sæcularia negotia, sive extra sacras missiones, sive earum occasione minime exercenda, quam circa dissidia gravissima ac jurgia adversus locorum ordinarios, regulares ordines, loca pia atque communitates cujusvis generis in Europa, Asia, et America, non sine ingenti animarum ruina ac populorum admiratione a Societate acriter excitata; tum etiam super interpretatione et praxi ethnicorum quorundam rituum aliquibus in locis passim adhibita, omissis iis qui ab universali Ecclesia sunt rite probati; vel super earum sententiarum usu et interpretatione, quas Apostolica Sedes tanquam scandalosas optimæque morum disciplinæ manifeste noxias merito proscripsit, vel aliis demum super rebus maximi equidem momenti, et ad Christianorum dogmatum puritatem sartam tectam servandam apprime necessariis; et ex quibus nostra hac non minus quam superiori ætate plurima dimanarunt detrimenta et incommoda; perturbationes nimirum ac tumultus in nonnullis catholicis regionibus; Ecclesiæ persecutiones in quibusdam Asiæ et Europæ provinciis, ingens denique allatus est mœror prædecessoribus nostris, et in his piæ memoriæ Innocentio papæ XI, qui, necessitate compulsus eo devenit ut Societati interdixit novitios ad habitum admittere; tum Innocentio papæ XIII, qui eandem penam coactus fuit eidem comminari, ac tandem rec. memoriæ Benedicto papæ XIV, qui visitationem domorum collegiorumque in ditione charissimi in Christo filii nostri Lusitanæ et Algarbiorum regis Fidelissimi existentium censuit decernendam; quin ullum subinde, vel Sedi Apostolicæ solamen, vel Societati auxilium, vel Christianæ reipublicæ bonum accesserit ex novissimis apostolicis litteris a felix recordationis Clemente Papa XIII, immediato prædecessore nostro, extortis potius, ut verbo utamur a prædecessore nostro Gregorio X in supracitato Lugdunensi œcumenico concilio adhibito, quam impetratis, quibus

Societatis Jesu institutum magnopere commendatur ac rursus approbatur.

Post tot tantasque procellas ac tempestates acerbissimas futurum optimus quisque sperabat ut optatissima illa tandem aliquando illucesceret dies quæ tranquillitatem et pacem esset cumulatissime allatura. At Petri Cathedram gubernante eodem Clemente XIII, prædecessore, longè difficiliora ac turbulenta accesserunt tempora. Auctis enim quotidie magis in prædictam Societatem clamoribus et querelis, quinimo periculosissimis alicubi exortis seditionibus, tumultibus, dissidiis, et scandalis, quæ Christianæ charitatis vinculo labefactato ac penitus disrupto, fidelium animos ad partium studia, odia, et inimicitias vehementer inflammaverunt, eo discriminis ac periculi res perducta visa est, ut ii ipsi quorum avita pietas, ac in Societatem liberalitas hæreditario quodam veluti jure a majoribus accepta omnium fere linguis summopere commendatur, charissimi nempe in Christo filii nostri reges Francorum, Hispaniarum, Lusitanæ ac utriusque Siciliae suis ex regnis, ditionibus atque provinciis, socios dimittere sive coacti omnino fuerint et expellere: hoc unum putantes extremum tot malis superesse remedium et penitus necessarium ad impediendum quominus Christiani populi in ipso sanctæ matris Ecclesiæ sinu sese invicem lacerarent, provocarent, lacerarent.

Ratum vero habentes prædicti charissimi in Christo filii nostri remedium hoc firmum esse non posse ac universo Christiano orbi reconciliando accommodatum, nisi Societas ipsa prorsus exstingeretur, ac ex integro supprimeretur; sua idcirco apud præfatam Clementem PP. XIII, prædecessorem, exposuerunt studia, ac voluntatem et qua valebant auctoritate, et precibus conjunctis simul votis expostularunt ut efficacissima ea ratione perpetuæ suorum subditorum securitati universæque Christi Ecclesiæ bono providentissime consulere. Qui tamen præter omnium expectationem contigit ejusdem pontificis obitus, rei cursum exitumque prorsus impedivit. Hinc nobis in eadem Petri Cathedra, divina disponente clementia, constitutis, eadem statim oblatæ sunt preces, petitiones, et vota, quibus sua quoque addiderunt studia, animique sententiam episcopi complures, aliique viri dignitate, doctrina, religione plurimum conspicui.

Ut autem in re tam gravi tantique momenti tutissimum caperemus consilium, diuturno nobis temporis spatio opus esse judicavimus, non modo ut diligenter inquirere, maturius expendere, et consultissime deliberare possemus, verum etiam ut multis gemitibus et continuis precibus singulare a Patre luminum exposceremus auxilium et præsidium: qua etiam in re Fidelium omnium precibus pietatisque operibus nos sæpius apud Deum juvari curavimus. Perscrutari inter cætera volumus quo innitatur fundamento pervagata illa apud plurimos opinio, religionem scilicet clericorum Societatis Jesu fuisse a concilio Tridentino